



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

V. Magdalena mundi assaultum repellit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Atque in Morboniam procul faceffe.  
 At tu simplicitas, pudor, dolorque,  
 Castimonia, veritas, timorque,  
 Temperantia, charitas, modusque,  
 Et segura quies, Amorque castus,  
 Et quidquid pia corda, seu medullas,  
 Diuum nectareo rigat Lyæo,  
 Adsis ô precor anxie clienti.  
 Me, me terque quaterque, septiesque,  
 Milliesque, vel amplius reuinctam,  
 Heu! blandis furor illigat periclis:  
 Et necdum nimis ah! nimis tenacis  
 Mundi dulcibus eripis catenis,  
 Et tam dulce furentibus tyrannis  
 Oppressam toties, morique iussam,  
 Aequo iure, manuque liberali,  
 Vindex asseris in tuam clientem?

V.

MAGDALENA mundi assultum  
 repellit.

SED quid tristibus illigor querelis?  
 Rupta en totiuga, vincla rupta mundi:  
 Et iam vindicias suæ clienti  
 Asserit dominâ manu patronus.  
 Nequidquam, grege cum venustiore,  
 Isthuc munde redis, & hanc ad arcem  
 Appellis validis seris reuinctam.  
 Frustrâ blanditiæ, dicacitates,  
 Argutatio, velitatioque  
 Hinc dicacium & hinc ineptiarum,

Hinc

Hinc procacium & hinc ocellulorum,  
Philtræ, nequitæ, bonæque mentis  
Eheu! pernicies, nocensque ludus,  
Sufurrus, iocus, hinniens cachinnus,  
Cultus, mundus inanitate plenus,  
Dofque inaniore ipsâ inanitate,  
Risus, præstigæ, facetiæque,  
Frustrâ fraudibus improbis & armis  
Tentatis vitreis viam fenestris,  
Tentatisque viam auribus sonoris.  
Quid me munde tuis rigas venenis?  
Quid me torquibus implicas & auro?  
Quid me mille monilibus coronas?  
Quid me floricomis trahis corollis?  
Iretisque procacibus lacertis?  
Et lenociniis tuis venenas,  
Queis nil dulcius, efferatiûsve,  
Aut est, siue fuit, vel esse possit?  
Ne tu tot mihi machinas & arma  
Fraudesqueingere, & irritos labores:  
Non sic ebria fascinor veneno  
Nunc, ut nuper agens iter per Orcum.  
I nunc munde, vale; valere nugæ,  
Et vos illecebræ, malæque curæ,  
Olim dos mihi charior medullis;  
At dos aut fragili vitro caduca  
Aut magis laqueis araneosis:  
Vili puluere viliora dona,  
Ornamenta luto lutosiora.  
Immunde ergo procul facesse munde,  
Meæ delicia, mei furores;  
Meæ iam lacrymæ, prius furores:

G 4

Olim

Olim dulce decus, mei que amores,  
 At nunc opprobrium meo pudori.  
 Tot fastidia amara, lacrymasque  
 De fumo & nebulâ, grauesque flammâs  
 Turpes mundicias, decus probrosum  
 Rîsus, & Veneres tot inuenustas,  
 Ludos, illecebras, malos amores,  
 Diris deuoueo, ter exsecrandis.  
 Et te munde, tuam fidem, tuosque  
 Eiuo laqueos, dolos, & artes,  
 Et leti malè glutinosa vincla.  
 Tu Proteus, dolus ille versipellis,  
 Monstrum cui nitidi micant ocelli,  
 Monstrum cui roseum rubet labellum,  
 Monstrum cui rutili nitent capilli;  
 Sed cui pestiferæ faces ocelli,  
 Virus purpureum rubens labellum,  
 Dolosus laqueus nitens capillus:  
 Et quisquam miser, ah miser! venena,  
 Faces, & laqueos, necesse amabit?

## V I.

## MAGDALENA altera Esther.

**A**LTER adest Xerxes, & Xerxe potentior  
 alter:

Alter & Esther adest, Xerxis honestus Amor.  
 Pulchra prior, Charitumque Charis pulcherrima  
 Sufis:

Fœda sed hæc, fateor, par tamen Esther erit.  
 Esther vt vna tremat, sic attremat altera CHRISTO:  
 Tangit vtrique tremens aurea virga caput.

Virga